



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

Kolb, Gregor

Rottwilae, 1725

VD18 12054054

XXVII. D. Agritivs. I. Archiep.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)



SERIES
ARCHIEPISCOPORVM ET PRIMATVM
TREVIRENSIUM.

PERIODUS II.

XXVII, D. AGRITIVS, I. ARCHIEP.

D. Agritius Antiochiâ Romam D. Helenæ nutu evocatus & auxilio translatus, D. Sylvestro Romano Pontifici adeò pretiosum se exhibuit, ut ab eodem Supremo Episcopo literas acceperit testes Primatus sui, quem à principio suo Antecessores Episcopi jam tenuisse creduntur. Mutata deinde tempora mutaverunt non parùm rem Trevirensium per Germaniam & Galliam, Imperatoribus & Regibus ab antiquo more rem diversam petentibus Romæ, & facillè impetrantibus. Cæterùm D. Agritius Trevirîs omni ex parte confirmatus, ex domo, quæ erat in urbe princeps & regia, Metropolitanam formavit ædem, cuius etiam hodie reliquiæ & monumenta supersunt: palatium verò Constantini M. Imperatorium, in Ecclesiasticorum Virorum domicilium S. Maximini nomine postea insignitum, metamorphosi felicissima est conversum. Templâ duo alia authore Agritio, impensis D. Helenæ sunt excitata, alterum nempe in colle S. Crucis, alterum juxta portam cognomento *Albam*, aut hodie *Altam* dictam: testium loco sint rudera & ruinæ. Christi togam inconsutilem ab Agritii ætate ad nostrâ usque tempora Trevirîs conservari, non audent negare ipsi etiam Reliquiarum sacrarum osiores. Annos circiter 8. Treviros gubernavit Agritius, sepultus in monasterio S. Maximini an, 335.

XXVIII.